

Quae est in Christo Jesu. Castus sensus, qui uni viro conjungitur Christo: & solius illi semel promissa sufficiunt.

Nam si is qui venit, aliam Christum praedicat, quem non predicavimus: aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud Evangelium, quod non recepistis: recte patere mini. Si vobis amplius aliquid gratiae praedicaretur quam per nos accepistis, recte eos nobis praepone forsitam patere mini.

Existimo enim nihil me minus fecisse. Me minus fecisse istis, qui non nihil sunt, ne putetis.

A magnis Apostolis. Quanto magis Petrus & ceteri praedicant minus aliquid accepisse.

Nam & si imperitus sermone, sed non scientia. Non sicut isti: qui cum sint scientia imperiti in sermone tumido gloriantur.

In omnibus autem manifestus sum vobis. Ostendit integritatem suam, qua per Deum omnia fecerit: cum nec avaritiam, nec gulam, nec gloriam ab eis aliquando quaereret.

Aut nunquid peccatum feci meipsum humilians, ut vos exaltemini? Si forte hoc solum peccavi, qui propter vos etiam licita & concessa contempni.

Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis. Qui neque panem quotidianum, quem ordinavit Dominus, accepimus.

Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Cum vobis praedicarem, mihi Macedones ministrabant.

Et cum essem apud vos, & egerem: nulli onerosus fui. Hoc fuit ex veritate infirmitatem portare parvulorum, ut nec tunc quidem vellet accipere cum egeret.

Nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt de Macedonia. Qui non occurrebant, manibus adorantem fratres quos noverunt falsos nec pseudoapostolos susceperant, quinimo vincebant.

Et in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo. Quando infirmos vos habueritis.

Est veritas Christi in me. Sicut Christus semel statuit, nec negavit, necesse est ut aliquando non mentitus ita faciam.

Quoniam haec gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiae. Gloriationem, propter Deum concessam contemnit, praecipue si inopiam patitur.

Quare? Quia non diligo vos: Deus scit. Ipse novit utrum vos diligam, an non. Imo ideo a vobis non accipio: quia multum vos diligo.

Quod autem facio, & faciam ut anpitem occasionem eorum qui volunt occasionem: ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos. Hic reddit causam, qua ipse non accepit, & adversarii cur docerent gulam, avaritiamque sectarentur, quarentes perpaucum aditum invenire lucrandi, ut hic vel panem acciperet, illi aurum licentius exigerent. Ideo tollit occasionem Apostolus, ut in hoc appareant qui propter Deum docerent, si a discipulis nihil expeterent.

Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt. Dicentes: Haec dicit Dominus, cum ipse non miserit eos: & visiones a corde suo loquuntur.

Operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Subdolos est qui aliud fingit, cum aliud agit: ut sub contemplatione evangelicæ praedicationis contegat rapacitatem. Tales enim praedicatores, ut hominibus placeant, necesse est adulari: ut adulando placeant, & placendo accipiant: ea quae commendantur dicunt, non ea quae aedificant audientem. Plerique eorum non tam pecuniam desiderant, quam honorem: arbitantes se summis opibus esse ditatos si ab omnibus collaudentur: sed nec pecuniam ideo spernunt, quia non habent, sed quia in reconditis habent. Veri autem & simplices magistri Apostolos imitantur, dicentes: Neque enim fuimus in sermone adulationis aliquando, nec in occasione avaritiae: neque quarentes ab omnibus gloriam, nec a vobis.

Et non mirum. Ipse enim satanas transfiguratur se in angelum lucis. Non tam facile somniis, aut aliquibus quasi angelis lucis, fides habenda, ne forte transfigurer se satanas in angelum lucis, & decipiat ac fallat incautos.

Non ergo est magnum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae. Non mirum si ministri satanae, avaritiae, id

est gloriae causa fingant se iustitiam praedicare.

Quorum finis erit secundum opera eorum. Mala opera, malus finis expectat.

Iterum dico, ne quis putet me insipientem esse. Alioquin velut insipientem accipite me: ut & ego modicum quid glorier. Jam superius dixit: Sustinete modicum quid insipientiae meae: & reddiderat rationem: quia zelo Dei eos zelaret: non gloriae desiderio esset de se aliquid dicturus: ne ejus in odium versi, falsos Apostolos sequerentur. Si ergo insipientia ejus tam sapiens est, quam sapiens erit ipsa sapientia? Simul notandum quia mirum esse non debet si ad tempus falsa doctrina praevaleret, cujus authoribus in fine vindicta promittitur.

Quod loquor, non loquor secundum Deum: sed quasi in insipientia: in hac substantia gloria. Si hic necessitate populi compulsus, negat se secundum Deum gloriam: quid de illis sentiendum est, qui sola jactantia gloriantur substantiae gloriae? Est enim alia vera substantia gloriam.

Quoniam multi gloriantur secundum carnem: & ego gloriabor. Quoniam in nobilitate terreni generis gloriam, carnale est.

Libenter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Video enim vos cum edocti sitis, nullius momenti insipientibus facile consentisse.

Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit. Legibus vel Pharisaeorum, qui dominatum in populum exercebant.

Si quis devorat, si quis accipit. Convivia, vel munera. Si quis accipit pecuniam.

Si quis extollitur. Judaica superbia, vel de scientia, vel de generis qualitate.

Si quis in faciem vos cadit. Si quis etiam praesentes objurgat.

Secundum ignobilitatem dico. Ignobilitas enim maxima est, si quis filius Dei, de terrena nobilitate se jactet.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. Ab illis minus aliquid habeamus.

In quo quis audet: in insipientia dico. Hic se Apostolis comparat, laborum suorum contemplatione. Item notandum quod quasi temerarium dixerit, audere.

Audeo & ego. Possim audere si volo.

Hebraei sunt, & ego. Israelita sunt, & ego. Semen Abrahae sunt, & ego. Si in hoc gloriantur: & ego hujus sum gentis.

Ministri Christi sunt: & ego. Notandum quod si quis de Christi solum ministerio gloriatur, non sapienter hoc facit.

Ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis: in carceribus abundantius: in plagis supra modum: in mortibus frequenter. A Judaeis quinquies quadragenas una minus accipit. Ter virgis caesus sum: senel lapidatus sum. Quinque vicibus tricenas, & novenas quasi transgressor legis accipit. Haec autem in Actibus Apostolorum non omnia reperiuntur: quia nec in Epistolis omnia quae ibi scripta sunt continentur.

Ter naufragium feci: nocte ac die in profundo maris fui. In ultimo periculo, cum navim in profunda tempestate deductam, in horas fluctu operiri putarem.

In itineribus saepe: periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. Qui explorare subintroierunt nostram libertatem.

In labore & arumna, in vigiliis multis, in fame & siti, & in jejuniis multis. In frigore & nuditate. Fames necessitatis est, jejunium voluntatis.

Præter illa quae extrinsecus sunt instantia mea, quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Præter illa quae per mansuetudinem leviora esse videntur.

Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis scandalizatur? & ego non uror? Non dixit, scandalizor: quia in fide scandalizatur. Cum infirmantibus infirmor: cum perentibus perire me credo: sic enim uror tristitia, ut animo ardere me sentiam.

Si gloriari oportet. Nam si gloriari necesse est. non in his quae ad letitiam, sed quae ad merorem pertinent gloriabor.

Quae infirmitatis mea sunt gloriabor. Manifeste infirmi-

tates suas Apostolos: tentationes quas sustinebat, persecutionesque significat. Item omnes superiores necessitates, uno infirmitatis nomine definiit, eo quod humanas imbecillitates istae praevalcant.

Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est benedictus in saecula, quod non mentior. Rem quasi difficilem dicturus, quod Judaei contra eum etiam principes gentium concitassent, ante implorat testimonium Dei: ne vere hoc jactantiae imputaretur quod adversus eum etiam regna surrexerint, & nihil potuerint praevalere. Haec autem idcirco enumerat, ut ostendat quid intersit inter veros, & falsos Apostolos.

Damasci praepositus gentis Aetiae regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus. Praepositus gentis illius erat cui imperabat Aetiae rex.

Caput XII.

Si gloriari oportet, non expedit quidem. Non mihi expedit, qui necessitate compellor.

Veni enim ad visiones, & revelationes Domini. Sibi infirmitatis, Domino visiones ascribit.

Scio hominem in Christo. Sive humilitatis causa de se in alterius persona loquitur: sive de alio: verum potest utrumque constare.

Ante annos quatuordecim: sive in corpore, sive extra corpus, nescio: Deus scit: quoniam raptus est in paradysum. Quia iterum repetit, ostendit aliam fuisse visionem. Vide quanta necessitas fuit, ut quod annis quatuordecim celaverat, prodere cogereetur.

Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio: Deus scit: quoniam raptus est in paradysum. Iterando Apostolus hunc talem hominem, ostendit secundo esse raptum: semel usque ad tertium caelum, ubi vidit visiones: & semel in paradysum, ubi revelata sunt ei ineffabilia verba.

Et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Sive quae nulli dicere fas est, sive quae impossibile est humanam enarrare naturam. Hoc contra Arianos.

Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil. Visione, vel homine: pro me autem non gloriabor in mea virtute: quia non est revelatio mea, sed Dei.

Nisi in infirmitatibus meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dico. Hic videtur ostendere, cum de alio dicat, etiam si dicat, causam gloriandi habere nolle.

Parvo autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me: aut audit aliquid ex me. Sufficiunt manifesta, etiam si celeriter occulta.

Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae. Quanta putatis esse quae celo, ut merito mihi esset stimulus necessarius, qui me hominem esse semper mihi demonstraret. Stimulum carnis, angelum satanae: tentationes persecutionum, Apostolus se sustinuisse significat.

Qui me colaphizat. Aut tribulationes suscitando, aut dolores. Quidam enim dicunt eum frequenter dolore capitis laborasse.

Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me. Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Hic intelligimus etiam sanctos ignorantem nonnunquam aliqua inimpetrabilia postulasse: simul etiam discimus, quod importuna petitio vel responsum mereatur, si non meretur effectum.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me virtus Christi. Postquam cognovi prodelle, quod nocere putabam.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis. Non in honoribus.

In necessitatibus. Non in otio, non in divitiis.

In persecutionibus, in angustiis pro Christo. Non pro crimine: unde Salvator: docuit, ut sola causa iustitiae, patiamur: Petro similiter id attestante.

Cum enim infirmor, tunc potens sum. Maxima potentia est infirmari pro Christo: & magnae divitiae, indigere.

Factus sum insipiens. Insipientem esse dicit, aliquem se in laboribus jactare vel virtutibus.

Vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli. Sed hoc vos coegistis, qui cum aliis de me satisfacere deberetis, quod nihil minus fuerim a magnis Apostolis: iterum opus habetis ut vos denuo commendemus.

Tametsi nihil sum: signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis & virtutibus. Ego quidem nihil sum ut homo: sed apostolatus sua in vobis signa monstravit: hoc est, patientiam in moribus, & prodigia in signis.

Quid est enim quod minus habuistis praeter ceteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos: Donate mihi hanc injuriam. Quibus alii Apostoli praedicaverunt. De integritate Apostoli, & severitate acceptae potestatis a Domino, in eos qui poenitentiam negarunt agit.

Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quaro quae vestra sunt, sed vos. Salutem vestram desidero, non munera.

Nec enim debent filii parentibus thesaurizare: sed parentes filiis. Ego magis si haberem, vobis dare deberem.

Ego autem libentissime impendam: & superimpendam ego ipse pro animabus vestris abundantius: licet plus vos diligens, minus diligat. Quod habeo labore nimio, impendo, & plusquam possum impendam. Perfecta enim dilectio non solum totum quod habet gratis impendit, sed etiam ipsa libenter superimpenditur si necesse est.

Sed esto, Ego vos non gravavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumveni vos? Per omnia se purgat, ipsorum semper conscientiam testem invocans: simul & quomodo se ab illis possint cavere demonstrans.

Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumvenit? Nunquid aliquid vobis abstulit ad me perferendum?

Nonne eodem spiritu ambulavimus? Nonne eisdem vestigiis? Nonne uno spiritu omnia gerimus?

Olim putatis quod excusamus nos apud vos. Non sicut superius dixi, placemus vobis, sed ne nobis cum venerimus necesse sit acrius vindicare.

Coram Deo in Christo loquimur. Omnia autem, charissimi mi, propter aedificationem vestram. Quem fallere impossibile est.

Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos: & ego inveniar a vobis qualem non vultis. Timeo si vos non invenero justos, & ego vobis severus inveniar. Blandimentis minas jungit.

Ne forte contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, detractioes, susurrations, insulationes, seditiones sint inter vos. Ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos. Propter haec se dicebat severissime vindicare. Quid faceret si nostris temporibus adveniret, quibus ad comparationem aliorum criminum, ista ne putantur quidem esse peccata.

Et luceam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt poenitentiam. Hoc est contra Novatianos poenitentiae negatores: si enim luget poenitentiam non agentes, utique de agentibus gaudet.

Super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. Impudicitia gravior est fornicatione: quasi monstruosa turpitudine: sicut ille fecit qui uxorem patris accepit.

Caput XIII.

ECCĒ tertio hoc venio ad vos: ut, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Secundum legem, contra Manichaeos.

Prædixi enim & prædico: ut praesens vobis, & nunc absens his qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus quoniam si venero, iterum non parcam. Qui post documenta priorum peccaverint, non ipsis parcam: quia antecedentium ruina, sequentes debet facere cautiore.

An experimentum quaritis ejus qui in me loquitur Christus? An in me Christum tentatis: utrum in vobis valeat vindicare?